





I. N. D. N. f. c. 7. B. num. 22.

2  
DISPUTATIO JURIDICA  
DE  
**CONSCIIS CRI-  
MINUM**

ANNUENTE DIVINI NUMINIS GRATIA,  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO atq; EXCELSISSIMO PRINCIPÆ ac DOMINO,

*L. 124*  
**DOMINO FRIDERICO**

WILHELMO,  
REGNI PRUSSIÆ ET ELECTORATUS  
BRANDENBURGICI HÆREDFE. &c. &c. &c.

AMPLISSIMI JURIS CONSULTORUM ORDINIS CONSENSU

SUB PRÆSIDIO

**DN. JOHANNIS HEINRICI**

*DOCTOR*  
U. J. L. & Prof. Publ. celeberrimi  
PATRONI ac PRÆCEPTORIS SUI ÆTATE DEVENERANDI

IN AUDITORIO MAJORI

Die 27. Novembr. ANNO MDCCIV.

*Placidae Eruditorum disquisitioni submittit*

A U T O R

**JOHANN. FRIDERICUS Sommer/ R. P.**

REGIOMONTI,

Typis FRIDERICI REUSNERI, SAC. R. MAJ. & ACADEM.

Typograph. Hæredum.



ILLUSTRISSIMO, EXCELLENTISSIMO  
atq; GENEROSISSIMO DOMINO,  
DOMINO  
**JOHANNI DIETERICO**

S. R. I. LIBERO BARONI

AB OVERBECK,

ELECTORATUS BRANDENBURG. DAPIERO  
SACRÆ REGIÆ MAJESTATIS IN PRUSSIA  
CONSILIARIO STATUS INTIMO,

NEC NON

AD AULAM POLONIÆ ABLEGATO EXTRAORDINARIO

Domino in Eichmedien, Brudsziekem, Queden, &c. &c.

DOMINO SUO GRATIOSISSIMO

ut &

GENEROSISSIMO, MAGNIFICO, atq; CONS-  
ULTISSIMO DOMINO

**DN. GODOFREDO à BECKEN**

S. R. M. IN PRUSISA

CONSILIARIO AULICO, & SUPREMO INTIMORUM CONSI-  
LIORUM, RERUMQUE FEUDALIUM IN PRUSSIA SECRETARIO  
LONGE MERITISSIMO,

MOECENATI atq; PATRONO SUO MAXIMO

Hacse suas Primitias Academicas in sui suorumque  
studiorum commendationem, cum voto felicitatis  
in seros usque Posteros propagande, devoto animo  
offert

*servus humillimus*

JOHANNES FRIDERICUS Sommer /

I. N. J.  
PRO E M I U M.

Os ille Romanorum usitatus, quo accusator ad partitatem supplicii sese inscribere tenebatur, per l. 7. pr. ff. de accusat. effectis; ut quam plurima scelera manserint impunita. Cum enim inscriptione ista haud periculo careret, saepè illi, qui criminum commissorum scientiam habebant, deterrebantur, ne illa luci publicæ exponerent. Sequenti ergo tempore Legumlatores animadvertisentes per hanc inscriptionis necessitatem non exigua damna in Rempublicam derivari eò quod delicta, quæ ut revelentur publicæ rei interest l. 9. §. 5. ff. de publican. & vestigial. l. 51. §. 2 ff. ad L. Aquil. occultentur: & homines facinorosi, quos veluti membra putrida tolli & resecari oportet, ne aliam corporis partem inficiant atq; corruptant, promeritas poenas effugerent; tandem denuntiationi etiam suum dederunt effectum. Hæc enim tutius institui valet, cum ad inscriptionem inibi non teneatur denuntians, nèq; ad operosam Criminis imputati probationem; sed sufficit modo indicis suis Judici ex officio inquirenti affixat, ad convincendum eò facilius reum delatum. l. 7. C. de accus. l. 6. §. 3. ff. ad Sctum Turpill. Congruit enim bono & gravi Praesidi curare ut pacata atq; quieta provincia sit, quam regit, quod non difficile obtinebit, si sollicitè agat, ut malis hominibus provincia careat, eosq; conquerat: nam & sacrilegos, latrones, plagiarios fures conquerere debet; & prout quisq; deliquerit, in eum animadvertere, receptoresq; eorum coercere, sine quibus latro diutius latere non potest. leg: 13. pr. ff. de Offic. Praesid. Imò Praxis nostrorum temporum abolita inscriptionis necessitate non solum denuntiandi, sed etiam accusandi facinorosos potestatem sine metu carceris aliorumq; tormento-

A

rūna

rum indulget. *Vid. P. L. R. L. 6. T. 1. A. 2. § 4.* Frequentius tamen & hodie denunciari, quām accusari videmus delinquentes, eō quod denunciatio denunciantem ab omni probandi onere immunem reddat; Secus atq; accusatio, quæ accusatorem ad crimen objectum legitimē probandum adstringit. Cum verò in denunciatione delictorum Reipublicæ Salus consistat, eō quod Respublica non præmiis tantum, sed & poenis beata sit & conservetur; adeoq; ejus interstit, nocentium crimina esse nota: opera pretium existimavi pro ingenii mei modulo hāc dissertatione, quam aliqualis speciminis loco collatæ haclenius in Legum scientiā industria exhibeo, exponere; quatenus Conscii Criminum delinquentes aperire teneantur, quæq; pæna delicta reticentes maneat. *Quod si L. B. hinc inde inveneris quæpiam, quæ palato minus grata sint, excusabis quæso eadern, cum ab eā etate proficiuntur, quā errare facile: & cui beneficium restitutionis indulgent jura.*

### §. I.

**C**onsueti moris est in conscribendis disputationibus in Vocabulum enucleatione prius occupari, donec ad ipsum thema considerandum fiat progressus, juxta l. 1. ff. de Reb. Cred. & l. 7. ff. de Suppellect. legat. idem & ego impræsentiarum facturus; ad duo potissimum respiciam; scilicet ad verbum *Conscius & Crimen*. Vocabulum *Conscius* natales suos derivat ab inseparabili particula *Con-*, quam importare ordinem scientiæ ad aliquid tradit *Thom. p. 1. qv. 79. art. 13.* & à verbo *scire*. Scire autem vel scientiam habere is dicitur, qui veritatem certò perspectam habet. *Besold. in Thes. Pract. sub voce Wissenschaft* Quæ scientia à credulitate differt distatq; plurimum. *Bartol. in l. 1. n. 7. de interrogat. action.* Conscium igitur appello, qui quasi conjunctam habet scientiam

cum

3

cum aliquò vel aliquibus, de re aliquā. Jus autem nostrum Civile duplicitis generis consciens constituit; Vel enim (1.) Consciū nomine ille venit, qui neq; consilio, nēq; ope de criminē participavit, sed nudam tantum ejus habet notitiam atq; conscientiam, quemadmodum hunc significatum nobis sīstit l. 2. ff. ad L. Pompej. de Parricid. Vel (2.) is Dicitur conscius qui vel consilio vel ope sceleratorum hominum machinationibus assistit, vel eistantum favet, eorum nefanda criminā approbando. l. 7. C. de pagan. l. 10. in prff. de pœn. l. 2. C. quic testam. fac. posf. Natta. Consil. 595. n. 12. f. & 597. n. 4. Carpz. in Prax. Crimin. p. 1. qu. II. n. 55. & p. 3. qu. 134. n. 100.

## §. II.

Vox Criminis originem suam fortitur à Græco *νέκω* cerno, judico; ut crimen propriè id significet, ob quod quis cerni i. e. judicari possit, ut obnoxius. Vid. Martin. Lexic. *sub voce Crimen*. Circa ejus Homonymiam noto dupliciter in jure vocem Criminis accipi (1.) pro ipso reatu delicti, contra Leges Reipublicæ admissi. l. 3. §. 1. ff. Stellion. (2.) denotat criminis accusationem, quā agitur ad poenam publicam reo imponendam. pr. J. de Suspe&t. Tutor. & l. 1. §. 2. ff. eodl. 7. ff. de accusat. l. 5. ff. de Calumniat. Usurpabo autem hoc loco vocabulum criminis in latiori significatu, pro quōvis delictō, quemadmodum ita accipitur in l. 1. & 5. §. ult. ff. de pœn. l. 131. in f. ff. de V. 8. aliquando enim, adeò strictè capitur vox criminis, ut opponatur delicto l. 2. §. 8. C. de Ver. jur. enuel. l. 17. §. 18. de edil. edit. Struv. in S. J. C. Exerc. 48. th. 13. Anton. Matthæi de Crimin c. 1. n. 1. Describo igitur hic crimen, quod sit factum illicitum contra LL. Reipublicæ sponte admissum, Eckolt adff. de privat. delict. §. 1. Dixi crimen esse *factum* unde patet crimen in cogitatione non

consistere, hujus enim nemo pœnam patitur. *l. 28. ff. de pœn.*  
 loquor de foro soli non poli, nam in hoc certum est, cogi-  
 tationis quoq; delicta dari & vindicari. *Vid. Dn. Stryck. de Jur.*  
*Sens. Diff. 10. cap. 6. n. 1. & 12.* Adjeci crimen esse factum  
 illicitum, indicando differentiam delictorum à quasi con-  
 tractibus, nam & in his obligatio oritur ex re seu facto, li-  
 cito tamen & honesto. Est porro crimen factum illicitum  
*sponte admissum.* Spontè verò ea fiunt, quæ vel ex proæ-  
 resi, vel saltem à volente & sciente omnes facti circumstan-  
 tias fiunt,

### §. III.

Variæ ac multifariæ Criminum divisiones partim in ipsis  
 Legibus obviae sunt, partim à DD. excogitate, è quibus eas  
 tantum hic recensebo, quæ instituto servire videntur. Di-  
 stinguntur autem crima (1.) quod alia sint publica, alia  
 privata; illa dicuntur, quæ Lege aliquā nominatim publicā  
 sunt coērcita; hæc contra, quæ quidem in jure coērcentur  
 sed absque lege aliquā nominatim publicā. *Hahn. in Not. ad*  
*Wef. de privat. delict. n. 3.* quæ iterum triplicia sunt, alia ordi-  
 naria, quæ etiam in specie privata dicuntur, alia extraordi-  
 naria, alia popularia, illa sunt, de quibus is cuius interest agit ad  
 pœnam extraordinariam publicam, hæc de quibus quilibet  
 ex populo agit, ad pœnam partim sibi partim fisco applican-  
 dam. *l. 25. §. 2. ff. de SCto Silan.* Crimina (2) alia sunt commissio-  
 nis, quæ committendo, alia omissionis, quæ omittendo com-  
 mittuntur, illius generis pleraque sunt crimina, hujus exempla  
 prostant in *l. 1. §. 18. & l. 2. ff. de SCto Silan. l. 45. ff. ad L. Aquil.*  
*l. 1. §. 1. ff. sisam. furt. fec. dic.* De aliis criminum divisionibus  
 latius agit, *Anton. Matth. d. tr. cap. 3.*

### §. IV.

His ita breviter adductis, ipsam rem solertiae mentis  
 acie

acie trutinandam aggredior, inquirens an criminis, quorum exactam quis habet scientiam, ab eo manifestari debeant. Nemo vero criminis certorem habere potest scientiam, nisi is, qui ipse scelus patravit. Unde statim illa suboritur quæstio, an quis proprium suum delictum revelare, sequi ipsum prodere teneatur? Huic quæstiōni decidendæ hanc substerno distinctionem, aut crimen commissum simpliciter occultum atque absconditum est, ita ut planè ignoretur, an illud commissum sit, nec ne? quemadmodum hoc sèpius contingit in delictis facti transiuntis, quorum nulla solent remanere vestigia, v.g. in adulterio, Sodomiâ, stupro &c. Et hoc in casu non teuetur reus scelus commissum confiteri, etiamsi Judex illud sub juramento ab eo exploret. Nemo enim seipsum infamare, sed famam suam, qua vita æquiparatur, illasam servare debet, Imò nec judex de iis quæ non constant juridice inquirere potest. l. i. §. 24 ff. ad Sct. Sylan. & l. s. §. 2 ff. eod. itaque ad talia interrogata respondere haud adstringitur. Quodsi autem crimen esse commissum publica fama ebucinet, constet etiam de corpore delicti, sed persona tantum qua patravit facinus, lateat; tunc si judex inquirat, se manifestare tenetur. *Didascus Cantera quæst. crim. 6. de reo.* Oportet tamen Judicem ad hanc inquisitionem certis & legitimis indiciis moveri, absque indiciis enim præcedentibus adversus certam aliquam personam inquisitio specialis formanda non est. *Ord. Crim. Carol. Art. 20. impr. Pr. LDR. L. 6. T. 1. A. 4. §. 1. & 2. Carpz. iis Prax. Crimin. p. 3. qu. 107. n. 72.*

### §. V.

Quarunt hic DD. an reus criminis, qui seipsum prodit à crimine absolvendus sit? Negant hoc Bajard. in addit. ad Jul. Clar. l. 5. sent. quæst. 27. n. 7. Bartolus in l. 3. §. si ex stipulatu ff. ad Sct. Syllan. & in l. 4. §. si tibi in f. D. de Condict. ob

A 3

turp.

*zurp. caus.* ubi addit Historiam de famulo quodam, qui die Sabbathi cum aliis sibi iunctis criminis participibus, Judaeum unam cum filii se interfecisse denunciat, illa spe fretus se præmium quinquaginta aureorum, quod delatori erat constitutum, consecuturum esse, sed deceptus pro præmio ipsi gladius obtigit. Quin tamen de Jure Civili saepè impunitatem reportent illi, qui seipso deferunt, negari nequit. Clara est hanc in rem l. s. §. f. C. ad L. Jul. Majest. ubi haec habentur verba. *Si quis in exordio initæ factio[n]is, studio veræ laudis accensus initam prodiderit factio[n]em præmiō & honore à nobis donabitur; si verò usus jam fuit factio[n]e & serò adhuc tamen incognitam patefecerit factio[n]em absolutione & venia dignus habebitur.* Addet l. 1. vers. accusatoribus C. de fals. monet. l. 1. §. 26. ff. de quest. Auth. Novo jure C. de pœn. Jud. qui mal. jud. Bodinus de Republ. L. 1. c. 1. n. 2. contrarium priori recenset exemplum, de Cæsare Augusto, qui decem festertium, se illi daturum, qui Croacotam latronum Principem in Hispaniā vivum ad se duceret, publicis editis fidem fecit. Croacota re explorata & comperita sponte se Augusto sistit, afferens, se ipsum latronum esse ducem; quare ut Cæsar ipsi præmium promissum, numeret, petiit. Cæsar ne publicam fidem & securitatem fregisse diceretur, pecuniam illam delato-ri constitutam, numerari jussit, & impunè Croacotam dimisit.

## §. VI.

Progedior ad delicta aliena, quæ vel jam commissa sunt vel adhuc committenda. Delicta jam commissa quod concernit, communis DD. suffragio suffulta est illorum sententia, qui afferunt; regulariter neminem, ne quidem in foro

foro conscientiae teneri, delictum alterius commissum, &  
aliis occultum sibi vero notum, manifestare. Stephan. Fa-  
gundez, ad Decalog. L. 8. c. 49. n. 5. Cum enim per naturam  
impossibile sit factum fieri infectum, hinc ob futurum scan-  
dalum delictum commissum revelari non decet. Quodsi  
tamen quis advertat criminis jam commissi reticentia salutem  
publicam graviter laedi, praesertim si continuationem hujus  
delicti probabiliter metuat: Sanè conscientia sua consulit, si  
crimen manifestet commissum. Semper utiq; commodum  
publicum præferendum est commodo privato, & damnum  
reipublicæ evitandum potius, quam damnum particulare;  
quippe & publicè & privatim utilius est, ut publica magis  
quam privata curentur. Imò unusquisq; civium in conscientia  
obligatus est bonum publicum omnibus modis pro-  
movere, haud ergo in conscientia tutus erit, si crima in  
detrimentum Reipublicæ tendentia revelare intermittat:  
maxime si accedat Iesus Magistratus, & publicè quis admo-  
neatur, ut sub pena indicet. Modo tamen etiam quis re-  
vera amore Reipubl. hoc faciat, si enim alia causa accedat-  
ut pote spes lucri vel ulciscendi animus tunc perversæ reve-  
lantis cogitationes rem efficiunt iniquam c. cum minister 24.  
c. relegantes 45. c. 23. qv. 5. Steph. ad Constit. Crim. art. 110.  
n. 6. Quamvis neque ambigendum sit licere &  
illo in casu crimen alienum manifestare, si scelus mani-  
festans, revelatione hac graviores cruciatus, ad quos per-  
ferendos alias adigeretur evitet. Nemo enim tenetur cum  
tanto cruciatuum atrocissimorum incommmodo alterius ser-  
vare famam. Iesus de Just. & Jur. Lib. 2. c. 11. dub. 8. Nec  
interest, an tali revelatione vita alterius periclitetur, nam  
& hanc ego cruciatibus corporis mei conservare non teneor.

Mo-



Molina de *Just.* & *Jur.* Tract. 4. Disp. 37. n. 10. Licebit deniq;  
crimen alterius occultum ad damnum proximo impendens  
aytendum revelare; e. g. Homicidium à Petro commisum imputatur innocentii Cajo, qui obid capitali consumendus est suppicio, possum ibi aperire Petrum autorem  
imò teneor ad hoc ex charitate & ob favorem innocentiae.  
*l. s. pr. ff. de pæn.*

### §. VII.

His præsuppositis fluit, solam scientiam delicti jam commissi regulariter punibilem non esse *Struv.* in *S. J. C. Exerc.*  
*48. th. 105.* *Lauterb.* in *Compend. Jur.* de *Receptator.* *Carpz.* in  
*Prax. Crimin.* p. 3. qv. 134. n. 56. Quod maximè verum est in  
iis personis, quas arctiori cognationis aut affinitatis vinculo  
colligavit natura; quarum præcipua cura est, ne gloriosum  
stemma aut honor familiæ ignominiosi supplicii irrogatione  
commaculetur ac deturpetur. *arg. l. 2. ff. de Receptat.* Nam  
& aliàs ignoscunt jura iis, qui consilium protuendis suis ca-  
piunt. *l. 22. §. 4. ff. ad l. Jul.* de *adult.* atque permittunt  
sanguinem suum quomodo cuncti redimere. *l. 1. ff. de His qui*  
*mort. sibi consiciv.* quidni ergò & vitam suorum cognatorum  
& affinium? per tradita *Jaf.* & *DD.* in *l. 3. ff. de Just.* & *Jur.*  
Limitatur tamen hoc (1) in eò, qui à Magistratu de delicto  
commisso interrogatus, id revelare recusat; hic enim arbitriam  
Judicis poenam haud effugiet, si constet ipsum ex-  
actam delicti, super quô examinatus est, habuisse notitiam.  
*Struv.* in *S. J. C. Exerc.* 48. th. 105. *Brunnemann.* ad *Weserb.* de  
*Receptator.* qv. 5. Limitatur (2) in illo, qui ratione officii sui  
obstriclus est, ut Crimina commissa denuntiet Magistrati,  
quales olim erant Irenarchæ, quibus publicè mandabatur,  
ut si quid gravius accidisset, id denunciarent Magistratibus.  
*l. 1. §. 12 ff. de offic. Præf. Urb.* l. 6. *pr. ff. de Cusiod. reorum.* *Matth.*

*Wes.*

9

Wes. in Paratitl. ff. de accusat. n. 3. Quo & certo modo per-  
tinent Curiosi & Stationarii tit. C. de Curios. & station. quibus  
Lege Papia dimidium mulcta concessum, quod Nero ad  
quartam reduxit. Sicut & hodie in nonnullis locis ejusmodi  
personæ constitutæ sub nomine der Rügemester / quæ Ma-  
gistratui delicta denuntiare debent. Struv. in Jurisprud. Forens.  
Lib. 3. T. 28. §. 2. Conf. Pr. LRR. Lib. 6. T. 1. Art. 3. §. 2. Huc  
spectant ordinationes illæ à superiori promulgatae, vulgo  
die Rüge-Ordnungen/ quibus cavetur, ut occultans nec re-  
velans Judici maleficium in Pago vel domo admissum,  
wann ers nicht rüget/ puniatur. S. LRR. L. 1. T. 59. Weich-  
bild. Art. 47. Webner. in Obser. Praet. sub voce Rügen. Limi-  
tatur (s) in delictis atrocioribus, quibus sumnum Civitatis  
bonum publica nempe Reipublicæ salus evertitur, puta Cri-  
mine Conspirationis, læsæ Majestatis, Parricidii &c: Cri-  
mina ergo hæc perpetrata non revelantes, à pæna immunes  
haud sunt. Carpz. d. l. n. 66.

### §. VIII.

Dispiciendum jam de illis criminum consciis, qui delicta  
adhuc committenda nōrunt, malè ne vel bene agant hæc  
reticendo? & an recte ea celentan verò revelare teneantur?  
Et hic varia jura discernenda veniunt Jus Conscientie, Jus  
Canonicum & Jus Civile. De Jure seu foro Conscientiae cer-  
tum est, quemlibet criminis committendi conscientiam teneri,  
ut crimina adhuc patranda indicet illis, qui ea impedire  
atq; præcavere valent; nisi hæc suā reticentiā ad omnia cri-  
mina latam quasi portam aperire, ingentesq; conscientiae  
morbos sibi cumulare velit. Menoch. de A. J. Q. L. 2. Cent.  
4. cas. 355. n. 1. Ex dictamine enim recte rationis homo unus-  
quisq; quæ corpori alterius nociva videntur, avertere si  
possit, tenetur; quippe hoc cognatio illa, quam inter ho-

B

mi-

mines constituit natura, juxta l. 3. ff. de Jus. & Jur. exigit.  
 Magis ergò obligabitur ad animæ periculum, quantum in  
 se est, avertendum. Si hoc, non debebit in crimen alterius  
 consentire, sed idem omnibus modis impedire, & si aliter  
 non possit; delinquendi occasionem revelatione tollere.  
 Maximè verò controvertitur inter DD. an idem de Jure  
 Canonico in ejus foro contentioso obtineat, quod in foro  
 conscientiæ? Et licet Menoch, c. l. n. 6, negantium sententiam  
 communem esse asserat; non tamen vereor ab hac com-  
 muni sententiæ recedere propter textus in c. quante 47. in  
 fin. de sentent. excommun. ibi: eos delinquentibus favere interpre-  
 tans, qui cum posint, manifesto facinori obviare desinunt. &  
 c. 6. §. illi etiam de homicid. & c. dilecto 6. de sentent. excommun.  
 in 610. Neque possunt textus allegati de Jure Canonico con-  
 scientiæ intelligi, nam Jura Canonica simpliciter loquun-  
 tur, ergò & simpliciter de Jure Canonico in foro ejus con-  
 tentioso intelligi debent: quando enim jura canonica aliter  
 in foro conscientiæ volunt disponere, quam in foro con-  
 tentioso solent hoc exprimere. c. 1. caus. 17. qv. 4. cap. 43. de  
 sentent. excommunicat. c. Tua nos 26. de sponsal. Certè si in  
 foro conscientiæ quis tenetur delictum committendum re-  
 velare, quid ni etiam de Jure Canonico, quod bonum ani-  
 ma maximè considerandum inculcat; quin etiam hoc jure  
 æquè reus is dicitur, qui veritatem occultat, quam men-  
 dadum qui committit, eò ipso, quia dum professe non vult.  
 æquè ac hic desiderat nocere cap. 1. X. de Crim. fals. Quod  
 Jus Civile attinet, recepta est DD. opinio neminem regu-  
 lariter in foro soli teneri delictum alterius committendum  
 revelare, & propterea scientiam delicti committendi scienti  
 nec revelanti non nocere debere: haud absurdâ tamen est  
 Didac: Covarruv in Clem. 1. part. 2. §. 2. n. 7. sententia, qui  
 sta-

statuit; Juris Civilis principiis consentaneum esse, desidiam & negligentiam illius, qui futuro delicto obviare potuit, & non obstitit, esse aliquā pēnā arbitriā puniendam. Nam si culpa caret is, qui scit, sed prohibere non potest *l. 50. ff. de R. J.* utiq; qui scit, & prohibere potest, nec tamen prohibet, culpa non carebit. Magna enim culpa est ejus, qui cum possit, tamen impedire renuit. Cujuscunq; enim rei penes me potētās est, eam si negligo, lubenti animo negligo; atq; ipsius actionis principium in me est. Quod enim possum & volo id ago. Quod autem non ago cum tamen possim, certum est, me id nolle. Nolle autem aliquid & rejicere, actus voluntatis sunt, atq; adeò spontaneus & voluntarius est iste neglectus, qui mihi utiq; adscribi potest. Quicquid ergò ex eo sequitur videtur mea contingere culpa. Pēnam ergò inde eos mereri jus fasq; postulat.

### §. IX.

Declarant tamen DD. receptam hanc de Jure Civili, opinionem ut non procedat in criminibus atrocioribus, quibus enormiter publica turbatur tranquillitas. Cum enim hæc merito in societate civili singulari sit conservanda cura, adeoq; ejus violatio graviter coercenda: & verò ista securitas etiam insigniter lēdatur, si crima patranda occultentur, neq; Magistrati patefiant: ideoq; salus Reipublicæ exigit, ut Consciicrimina committenda reticentes condignā plectantur pēnā. Excipiunt igitur statim crimen læsa Majestatis, quō nihil atrocius atq; execrabilius fingi potest, atq; statuunt illius conscientium omnino adstringi ad illud detegendum, & si reticuerit, eum graviter esse puniendum. Quod tamen alii ita demum admittunt, si criminis conscientia crimen detectum probare possit, secus si non possit; quia non teneatur hic detegendo se in periculum tormentorum conjicere,

*l. 3. C. ad L. Jul. Majest.* Verum si dicendum quod res est, verorem illorum judico sententiam, qui dicunt, indistincte sive probare possit, sive non teneri omnino illud detegere; modo certa judicii indicia aperire possit, quibus hic ad inquisitionem moveri queat. Periculum etiam illud quod hic subesse autem, facilè evitari potest, si illud crimen, non per modum accusationis, sed per modum denunciationis detegat. *Menoch. de A. J. Q. L. 2. Cent. 4. Cas. 355. n. 10.* Gravior adhuc lis est inter DD, quæ pœna dictanda sit consciis conspirationem non revelantibus. Alii pœnam relegationis, alii arbitrariam statuendam arbitrantur. Bartolus in *l. 3. ff. ad L. Pompej. de Parricid.* ordinariam Legis Juliæ Majestatis iis statuit, quam Bartoli sententiam tam rigidam atq; severam judicavit Baldus *L. 1. Consil. 34.* ut propterea Bartolum in piceâ voragine cruciari, omnesq; ejus factatores homicidas dixerit. Sed nos fulmina Baldi parum pensi habentes omnino cum Bartolo facimus. Svatet hoc generalitas *l. 5. §. 6. C. ad L. Jul. Majest.* Imperator quippe conscius simpliciter Legis hujus pœnis subjicit; svadet etiam ratio, tacens enim cum loqui potuisset & debuisse: habetur pro consentiente & approbante, jam vero quivis subditus non tantum Jure naturæ, sed Jure quoq; civili tenetur factiones & conspirationes sibi compertas indicare Reipubl. & Principi. *Vid Novell. 117. c. 8.* Dum ergo hoc non facit habetur pro ipso perduelli atq; factioso. Imo consciij & reticentes silentio suo vires conjurationi addunt, haud injuriâ ergo pari cum conjurantibus succumbunt pœnae. Unde rectissime *Socrates Orat. 3. ad Nilocem.* ait: eadem pœna dignos esse supprimentes hujusmodi facinus, quam facinorosos. Idem probatur porro *arg. l. 1. §. 21. 28. & 29. ff. de Silan.* *Sciō ubi dicitur capitale esse servo silentium, si insidias in caput domini struetas, quorum noti-*

notitiam habuit, non manifestaverit. Quantò magis ergò subditus capitalem fraudem admittet, si indicium non fecerit latitantis perduellionis, cuius haud ignarus fuit. Nullum enim inter homines arctius vinculum est, eō, quō patriæ atq; Principi obstringimur, & Principis ex personā patriæq; ex tranquillitate omnium pendet civium publica & privata salus. Quid? quod parum Reipubl: & Principis saluti prospētum foret, si insidiarum consciī & reticentes extraordinariā aliquā defungi possent pñnā, pauca sanè conspirationes atq; factiones detergerentur. Certè reticentia hæc Philotæ exitium attulit, Cebalino verò denuntiatio instantis Regicidii vitam servavit. Ita namq; apud Curt. L. 6, c. 7. Alexander ad Philotam, Cebalinus, inquit, *ultimum supplicium meritus, si in caput meum preparatas insidias biduō texit, hujus criminis reum Philotam substituit, ad quem protinus indicium detulisse sè affirmat.* Quō propiore gradu amicitiae me contingit, hoc minus est dissimulationis tuae facinus. Huc facit l. 6. pr. ff. de pen. Et patrum nostrorum ætate Garnettus Jesuita in Angliâ ac Illustris Historici Thuani filius in Galliâ ob indicium conjurationis non factum ultimo affetti sunt suppicio, testantibus actis Anglicanis in pulvilli conjugatione. Lib. 1. c. 6.

### § X.

Alterum crimen quod DD. excipiunt est Parricidium. Hujus enim conscius, si illud reticeat, parricida dicitur. l. 6. ff. ad L. Pompej. de parricid. Unde gravis inter Jureconsultos nascitur contentio, an consciī qui nudam tantum criminis hujus habent notitiam, illudq; non produnt ordinariā parricidij pñnā plectendi sint. Affirmativam tuentur Bartolus in d. l. 6. ff. ad L. Pompej. de parricid. n. 2. Anton. Gomez. Tom. 3. Var. resol. c. 3. n. 4. Matth. Berlich. p. 4. Conclus. 6. n. 4. Jac. Me-

B 3

noch.

noch. de A. J. Q. L. 2. Cent. 4. Cas. 356. Qui omnes pro stabili-  
 hendâ hâc sententiâ adducunt l. 6. ff. ad L Pompej de parricid.  
 cuius hæc sunt verba: *Utrum qui occiderunt parentes, an etiam  
 conscijs pena parricidij afficiantur quari potest?* Et ait Marciianus,  
 etiam conscijs eâdem pena afficiendos, non solum parricidas; Pro-  
 inde conscijs etiam extranei eâdem penâ afficiendi. Cui con-  
 fona sunt quæ Jmperator in §. 6. J. de publ. Jud. sanxit, his  
 verbis: *Nec non is cuius dolo malo id factum est, vel conscius  
 criminis existit, licet extraneus sit, penâ parricidij puniatur.*  
 Verum quavis etiam magna hujus criminis sit atrocitas,  
 tanta tamen nobis haud videtur, ut eos conscijs, qui nu-  
 dam tantum criminis hujus notitiam habent, ordinariâ par-  
 ricidij pænâ enecandos esse arbitremur, quin potius arbitra-  
 riâ iis pænam dicemus. Neq; contrariatur all. saepius  
 l. 6. ff. ad L Pompej. de Parricid: quæ quanquam primo intui-  
 tu generaliter & sine ullâ distinctione de conscijs loqui vi-  
 deatur, illa tameu ex l. 2. ff. eod. ita explicanda est, ut conscius  
 ibi dicatur ille, qui non solum scit appeti vitam patris, sed  
 cuius conscientia consiliorum etiam societate innexa atq; il-  
 ligata est. Nam frater, qui cognoverat tantum, non par-  
 ticipaverat insidias fratris, relegatus est; Medicus autem,  
 quoniam non solum cognoverat, sed & particeps insidiarum  
 fuerat, venenum forte ad enecandum patrem subministrando,  
 suppicio affectus est. Accedit, quod d. l. 6. ff. ad L  
 Pomp. de Parricid. de extraneis quoq; loquatur: durum au-  
 tem nimis foret extraneum ob solam reticentiam morte  
 plecti. Anton. Matthai. in Lib 48. Tit. 6. cap. 1. Carpz. in Prax.  
 Crim: p. 1. qu. II. n. 48. & 49. Brunnemann. in Exercit. Insti-  
 t. 32. ad §. 6.

### §. XI.

Porro limitant DD. prædictam communem opinionem  
 in

5

in iis personis, quæ delictis suorum aliorumq; quovis modo  
obviare tenentur. Vel ratione patriæ aut dominicæ po-  
testatis velut pater & dominus l. 2. l. 3. & 4. ff. de Noxal. Acti-  
on. l. 45. ff. ad L. Aquil. Vel ratione officij ut Magistratus  
Dux belli, Prælatus, Officialis &c. Simili modo hoc ex-  
tendunt ad personas illas, quæ obstrictæ sunt aliis, ut insi-  
dias vitæ, quas contra easdem fraudulenter moliri cogno-  
scunt; omnibus modis avertant atq; impedian. Quales  
sunt liberi, fratres, uxores, servi, famuli, milites. Hinc pæ-  
nâ Senatus Consulti Silaniani tenentur omnes servi, si insi-  
diarum conseij eas domino non detexerint. l. 1. §. 21. & l. 3.  
& 19. ff. ad SCt. Silan. Lege militari miles qui præpositum  
suum cum posset, non protexit, in pari causa factori habe-  
tur. l. 6. §. pen. dere. milit.

### §. XII.

Sed quid dicendum de sacerdote, num is ea, quæ in  
Confessione ipsi revelata sunt, manifestare potest & tenetur?  
Et Pontificij quidem per c. 2 dist. 6. de penitent. ut & cap. 12 X.  
de penit. & cap. 13. X. de excessu prælat. indistinctè negant, sive  
confessor confessus fuerit crimen jam commissum, sive ad-  
huc committendum, sive velit desistere à crimine commit-  
tendo, sive id perficere, sive crimen illud leve sit, sive  
atrox. Unde in Conjuratione pulveraria Garnettus Jesuita  
à Comite de Nottingham pro tribunali interrogatus, si quis  
apud ipsum confiteretur se die sequenti Regem pugione trans-  
fixurum putaret rem sibi occultandam? Affirmando respon-  
dit. Et Henricus Henriquez in Summ. Theol. Moral. de Penitent. lib.  
3. c. 19. §. 5. disertè statuit, non esse revelandam confessionem,  
quamvis ageretur totius orbis salus, aut ipsius pænitentis utili-  
tas, nec pro vitando ullo damno gravissimo innocentis,  
aut quod esset totius orbis conflagratio, aut perversio reli-  
gionis

gionis & omnium sacramentorum intentata demolitio; sigillum enim confessionis Pontificii statuunt adeo sanctum atque firmum, ut ne Pontifex quidem circa hoc dispensare possit. per text: *in c. 13. de excess. prelat. juncta glossa & c. 2. X. de Offic. Ordin.* Verum crudam hanc Pontificiorum doctrinam per omnia probare non possum. Fateor quidem confessionem, quae sacerdoti sit, ipsi Deo fieri *cap. si Sacerdos. 2. X. de offic. jud. ordin.* sed hoc de tali procedit confessione, quae directa est ad absolutionem, committendorum vero & omnino perficiendorum criminum tantum abest, ut cum Pontificiis absolutionem statuam, ut potius hoc nomine vehementer eos arbitrer increpandos. Unusquisque enim advertit illico, hoc pacto Sigillum confessionis fieri vinculum iniquitatis; & permitti ita delicta, quae revelando evitari poterant: Imo sacerdos sic revera communicat cum alterius improbitate. Criminum autem jam commissorum, vel committendorum quidem, sed tamen cuius paenitentiam alia ratio est, hoc enim casu uti sacerdotis est absolvere, ita etiam tacere: uti enim Optimus Maximus Deus peccatorum semel remissorum nunquam recordatur, ita imo multominus sacerdos; nisi forsan complices adhuc fuerint hujus criminis committendi, quo in casu vel confitentem monebit, ut ipse indicium sceleris faciat, vel si hoc fieri non videt, ipse Magistratum adire debet, ipsumque de periculo saluti imminentis commonere ita tamen ut sigillum confessionis non violet. *Vid. Dng. Beyer de Sigill. Confess. cap. 4. §. 22. seq.* Quando ergo contingit, ut sacerdos in causa criminali ab auctore contra reum ut testis producatur, quo revelet ea, quae ipsi in confessione concredita sunt; haud obstringitur ea aperire, & si de his interrogetur a Judice, sine mendacijs & perjurii notâ dicere poterit, se nihil scire, nihilque audivisse. *Excellentissimus Dng.*

Dno. D. Grube in Process. For. Pruten. cap. 17. n. 133. Vid.  
 PLR. Lib. 1. Tit. 35. Art. 6. §. 3. Sunt enim ea, quæ  
 ministro Ecclesiæ quasi in aurem dicuntur, instar arca-  
 nissimi depositi habenda, quia confessio non homini fit,  
 sed Deo, neq; instituitur in actu confessionis inquisitio Ju-  
 dicialis arcanorum, sed conscientiis consulitur, quæ mole  
 peccatorum se exonerant & efficax solatium querunt Bal-  
 duin. de Casib. Consil. Lib. 4. cap. 10. cas. 7. Carpz. in Jurispr. Con-  
 fess. Lib. 3. T. 2. n. 2. Idem confirmat B. Lutherus in Colloqu. mens.  
 cap 14. von der Beicht und absolution, ubi ad quæstionem  
 propositam etiam negando respondet, his verbis: Mit nich-  
 ten / denn man muss Kirchen- und Weltliche Regiment un-  
 terscheiden / sintemahl sie mir nicht gebeichtet hat / sondern dem  
 HErrn Christo / und weil es Christus heimlich hält so will  
 ich es auch heimlich halten / und stracks sagen / ich habe es nicht  
 gehöret / hat Christus was gehöret / so sage ers. In modo licet sa-  
 cerdos in testem productus, ea, quæ ipsi in confessione con-  
 credita sunt revelarit, ipsi non creditur nihilq; probat, quia  
 facta est illa depositio contra jus, l. s. C. de LL. Masicard. de Pro-  
 bat. Vol. 1. Concl. 377. n. 1. Menoch de præsumpt. 89. n. 26. & 27. At si  
 quis sacerdoti confiteatur quod non possit desistere à pro-  
 posito & licentiam det sacerdoti revelandi, dubium non est,  
 quin hoc in casu delictum revelare possit & teneatur, eiq;  
 plena fides habeatur: modo tamen confessus non contra-  
 dicat. Unde Masicard. d. l. Conclus. 7. n. 9. & 10. notat, hunc  
 esse casum illum, quo dictum unius testis plene probat.

### §. XIII.

Quō autem poenæ genere sacerdotis coērcenda garrulitas, si ea quæ secretō sub sigillo confessionis ipsi à confi-  
 tente commissa sunt effutiverit, & quidam DD. statuunt,

C

eius-

ejusmodi garrulum Ecclesiæ ministru m in crimen falsi incide re, siccq; Lege Cornelia teneri. Si enim is, qui deposita instrumenta prodiderit adversario, de falso potest accusari per l. 1. §. 6. ff. ad L. Cornel. de falso. quare non is teneretur, qui conscientia concredita arcana, in vulgus spargere non erubescit. Quin etiam injuriarum actionem contra eundem instituendam concedunt; officii enim terminos excedens sacerdos ab actione injuriarum immunis haud est. Carpz. in *Jurisprud. Confistor. Lib. 3. def. 98.* In specieverò hic obtinet poena depositionis ab officio, & ut omnibus diebus vita suæ ignominiosus peregrinando perga t. c. 2. de pœnitent. dist. 6. Prior pœna scil: depositionis ab officio repetita est, in c. 12. X. de pœnitent. & Remiss posterior verò mutata, & substitutum, ut ad agendam perpetuam pœnitentiam in Monasterium de trudatur. d. c. 12. Petr. Gregor. Tholos. in *Syntagm. Jur. Univers. L. 2. c. 8. n. 13.* Ex hisce tamen poenis canonice sola depositio ab officio moribus nostris observatur. Quamvis neq; de finit exempla ubi alii suspedio alii vivicomburio affecti; quæ recenset Dng. Beyer. de *Sigill. Confess. Sccl. 1. cap. 4. num. 10. & seqv.* Unde concludo cum Dno. Stryck: in *Disput. de Credentia Revelat: cap. 4. n. 43.* Pœnam esse extraordinariam, pro circumstantiarum tamen varietate ad mortem etiam posse extendi.

## §. XIV.

Ordinis ratio postulat, ut paucula de illis Criminum conscientiis addam, qui vel Consilio, vel ope abominandis festissimorum hominum moliminibus assistunt, vel saltem improba ipsorum facinora approbant. Consilium suggerendo crimen contrahi, manifesti juris est. Ita enim Saturninus JCtus in l. 10. ff. de pœn. ait: Alios syadendo juuisse sceleris instar est, nec minus consilia atq; facta puniuntur. Consilium verò aliud est *Nudum* sive *simplex*, aliud *Non-nudum*. *Nudum* est, quod in meritis syationis & hortationis ter-

terminis subsistit, & tantum quid faciendum vel non faciendum suggestit & simpliciter hortatur sive svadet, ac postea illud libero accipientis arbitrio relinquit, nec utrum fiat, nec ne laborat. Velut si quis petenti pecuniam & egestatem professo simpliciter svadeat ut furto sibi pecuniam querat. §. 11. in f. J. de Oblig. quæ ex delict. nasc. Bachov. ad Treutl V. 2. Disp. 30. th. 3. lit. D. Quale consilium regulariter impunitum est, & si delictum fuerit securatum, non nisi leviori poenâ erit locus. arg. §. 11. J. de Obl. quæ ex del. nasc. l. 36. pr. de furt. l. 20. ff. de his qui not. infam. struv. in S. J. C. Exerc: 48. th. 12. Non Nudum dicitur, quod terminos consilii excedit & vim aliquam impulsivam & perswasivam habet; Si nimis quis non tantum consulat, sed etiam reluctantem, multis persuasimis ad aliquid faciendum inducat, sollicitet & urgeat, modum etiam & occasionem delinquendi subministret. l. 1. §. 3. ff. de serv. corrupt. l. 50. §. 3. ff. de furt. Bachov. ad Treutl. d. l. Georg. Frantz. in Comment. ad Tit. Mand. n. 87. & seqv. Joh. Otto Tabor in Racemat. Crimin. 4. th. 7. Veluti si quis furem docuerit, quomodo se in aliena coenacula dirigat, uti dicitur in l. 7. ff. de Extraord. Crimin. insinuete, quo res auferre possit Bach in Not ad Wesenb. de Condict. furtiv. n. 7. & locum ubi pecuniae repositæ ostendat: item si quis adultero locum, tempus occasionem committendi adulterii explicit &c. Quoad hanc sane nemo ambigit, eum idem delictum cum delinquentे admittere, parijs dignum esse poenâ, cum tantum non architectus totius flagitiū dici possit. Hoc sensu furti teneri dicitur, cuius consilio furtum factum est. l. 53. in f. ff. de V. S. l. 36. & 52. §. 21. D. de furt. Injuriarum causis consilio injuria alteri illata. §. pen. J. de Injur. l. 11. §. 6. ff. eod. Lege Juliâ de adulteriis, cuius consilio adulterium factum est l. 12. ff. ad L. Jul. de adult. Lege Pompejâ de Parricidis, cuius consilio parricidium factum erit. l. 6. ff. ad L. Pompej de Parrieid. Communiter tamen DD.

limitant, nisi alter absq; tali consilio delictum fuisset commissurus, tunc levius puniendum dicunt instruentem, Anton. Matthaei. in Lib. 48. T. 18. c. 4. n. 18. Carpzov. in Prax: Crimin. p. 2. qu. 71. n. 57. Struv. in S. J. C. Exerc. 48. th. 12. Menoch. de A. J. Q. qu. 351. Fandem limitationem approbat Jus Prut. Lib. 6. T. 5. A. 1. §. 2.

## § XV.

Quid verò dicendum de illis Criminum Consciis, qui opem & auxilium delinquentibus præstiterunt, qualem hi merentur poenam; utrum eandem, quam Princeps in scelere patrando, an mitiorem. Dicuntur autem opem præstissime, non solùm illi, qui in ipso crimine auxiliatrices præbuerunt manus, veluti qui vulneratum detinuerunt, quò minus fugā salutem quæreret, aut vim illatam vi repelleret; sed & illi, qui etsi criminis patrato haud præsentes adfuerint, ferramenta tamen, tela, venena commodaverunt, scientes eujus rei causa commodaverint §. 11. J. de oblig. que quas ex delict. nasc. Sanè si quis aliqui equos vel arma commodaverit, quia securus ire velle dixerat, & deinde ad delictum perpetrandum ivit, commodans correus criminis dici nequit: nec enim sufficit ignoranter opem ferri delicto, sed dolus ac scientia magnopere requiritur, quæ vel qui socium & consortem criminis facit l. 54 § 4 ff. defurt. Ignorantia enim delictum & dolum excludit. Quando autem scienter quis præstat opem delinquenti, observandum est, an ante perpetratum delictum, an in ipso Crimine quis delinquenti auxilium tulerit. Ante delictum, ut si quis homicidii faciendi causa domum concesserit, vel sciens arma, ferramenta, scalas commodaverit. In ipso crimine, ut si capiat aliquem, & eum teneat, & alter percutiat usq; ad mortem, aut occisi defensionem in ipsa luctâ armis prohibeat, aut elidat. Illo igitur casu, qui opem præstiterunt delinquenti extra actum seorsim antequam facinus patraret,

mi-

mitius puniri solent, quam ipsi rei principales. Posteriori casu, quando auxilium latum est, in ipso actu, vel proxime ante actum cooperando, auxiliator eadem poenâ cum principali plectitur. *Weserb. de furt. n. II. Carpz. in Prax: Crimin. p. 2. qu. 87. n. 12. & 13.* Cum is, qui in ipso actu auxilium præstat; socius sit, ac plane simul delinquit. Hoc sensu disponunt jura, ut non solum peculator, sed & qui peculatori ministerium præbuit capitalem sustineat poenam. *I. un. C. de Crim: pecul. Comites pueri puellæve quo: um ope corrupti sunt, summo supplicio afficiuntur. I. 1. inf. ff. de Extraord. Crimin. Lege Julij de adulteriis tenentur non solum adulteri, sed etiam medii & ministri criminis. Novell. 134. cap. 10.*

### §. XVI.

Verum quando quis post delictum jam perpetratum ope delinquenti adstitit, uti si fugam rei juverit, vel eum occultaverit, quali poenæ genere is coercendus sit, quæstio est. Plurimi DD. poenam extraordinariam illis dicunt. *Matib. Steph. ad art. 177. C. C. C. n. 4.* Sed vix est, ut horum sententiae simpliciter subscribere possim. Quod enim eos concernit, qui fugam rei juverunt specialiter cautum est, in *I. 4. ff. ad Jul. de vi privat.* ut poena Legis Julianæ de vi privatâ teneantur, si concursum fecerint, quò minus reus in jus produceretur. Vel Legis Julianæ Majestatis, si reum confessum vinculis exemerint. *I. 4. vers: item qui confessum ff. ad L. Jul. Majest.* Receptatoribus & dolo malo latrones aut alios maleficos occultantibus eandem poenam, quam ipsis reis principalibus dicunt. *I. 1. ff. de Receptat. & I. 1. C. de his qui latron. recep.* Furem vel rem furtivam si quis scienter occuluet pari poenâ cum fure h. e. poenâ furti tenetur. *I. 48. §. 1. ff. de furt.* Juxta illud vulgatum: *Der Hæhler ist so gut wie der Stehler.* *Farinac. in Prax. Crimin: p. 6. qu. 168. n. 56. & 57. Conf. P. L. R. L. 6. T. 7. A. 16. §. 1. & 2.* Imò cum in *I. 3. §. 3. ff. de*

*Incend. ruin. naufr.* dicatur, non minus delinquere receptorem quam aggressorem, merito dubium redditur annon eadem poenam animadvertisendum sit, in receptatores atque ipsos reos. Distinguunt ergo probo sententiam, qui distinguunt, aut quis latronem, aliumve maleficum simpli citer non inita societate sceleris recepit & occultavit, & arbitrarie puniendus est; aut quis contracta societate sceleris turpisve lucri causa delinquentes suscepit, & eadem quae delinq uens poenam coercendus est. Anton. Matthaei ad Lib. 47. tit. 10. c. 2. n. 2. Brunnemann. in Comment. ad l. 1. ff. de Recept. n. 2.

### §. XVII.

Inter Criminum Conscios retuli etiam eos, qui delicta jam commissa approbant atque ratihabent, unde & de horum poenam paucis agendum est. Ratihabitionem non solum in Contractibus l. 152. ff. de R. J. sed etiam planè in delictis mandato æquiparari aperti juris est. l. 152. §. 2. ff. de R. J. Regulam tamen illam in d. l. 152. §. 2. ff. de R. J. etiam in maleficiis ratihabitionem mandato æquiparari, ut procedat, hisce limitibus circumscribendam judico: modo delictum ratificantis nomine fuerit commissum, & modo etiam illud ratificet tanquam suo nomine patratum: quæ duo conjunctim requirunt DD. Clarus lib. 5. sent. §. f. qu. 87. n. 5. Vid. Decianus Tract. Crim: lib. 9. c. 38. n. 2. & sequ. Et tunc ratificans tantum ad extraordinariam, non ordinariam tenetur poenam, quia delicto cooperatus non est. Brunnem. in Paratitl. Wcf. de privat. delict. qu. 7. Struv. in S. J. C. Exerc. 48. th. 12. Hic itaque dissertatione huic finem impono, & devotissimas Deo optimo maximo fundo gratias, pro immensa clementia concessas in omnibus aequa meis coepitis ac jam ad Colophonem deducatis, & ut porro studia mea ad sui Nominis Gloriam, patriæque salutem felicissime dirigat, ardenterissimis exoro precibus.

S. D. G.

7+10  
TA → QC


ULB Halle  
004 598 555

3



K017





B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

8	
7	
6	
5	
4	
3	
2	
1	
1	Centimetres
2	
3	
4	
5	
6	
7	
8	
9	
10	
11	
12	
13	
14	
15	
16	
17	
18	
19	
20	

I. N. D. N. J. C. 27.3. num. 22.

2  
DISPUTATIO JURIDICA  
DE  
**CONSCIIS CRI-  
MINUM**  
13


ANNUENTE DIVINI NUMINIS GRATIA,  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO atq; EXCELSISSIMO PRINCIPE ac DOMINO,

*Q. 124.*  
**DOMINO FRIDERICO**

WILHELMO,  
REGNI PRUSSIÆ ET ELECTORATUS  
BRANDENBURGICI HÆREDE. &c. &c. &c.

AMPLISSIMI JURIS CONSULTORUM ORDINIS CONSENSU

SUB PRÆSIDIO  
**DN. JOHANNIS HEINRICI**



U. J. L. & Prof. Publ. celeberrimi  
PATRONI ac PRÆCEPTORIS SUI ÆTATE DEVENERANDI

IN AUDITORIO MAJORI  
DIE 27. Novembr. ANNO MDCCIV.  
*Placidae Eruditorum disquisitioni submittit*

A U T O R

JOHANN. FRIDERICUS Sommer/ R. P.

REGIOMONTI,  
Typis FRIDERICI REUSNERI, SAC. R. MAJ. & ACADEMIAE  
Typograph. Hæredum.

